
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO I.

De

Naturâ & Constitutione Ethicæ.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

CHRISTIANUS NIFANIUS,

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem 28. Augusti

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII.
Anno M. DC. XLIX.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI,

EXERCITATIO I.

De Naturâ & Constitutione Ethices.

VT Ariston Chius olim Dialecticorum argutias telis aranearum similes plus subtilitatis, qvàm utilitatis, habere dixit, ut *Erasmus l. 8. apophth. t. 48.* notat, & *Socrates* abrogato Meteorologico disceptandi genere Ethicum & morale introduxit, unde Philosophiam de Cœlo deduxisse, & in urbibus ac domibus collocasse dictus est, ut *Xenophon l. d. dict. Socr. tradit:* Ita non eo modo in illis elaborandum, ut non minus operæ & moralib. disciplinis à liberali animo impendatur, cum in his non verbis, sed factis disceptetur, optimusq; sit, qvi verba vertat in opera, & sale scientiæ expurget conscientiam. Eâ de gratiâ *Ethicas materias* jam ante 12. annos *Decade 3. Miscell.* percursas, iteratæ ventilationi, compendio velut ex Decade ducto, pro commodo studiosæ Juventutis, Bono cum DEO, subjicere visum fuit.

2. Classica *Philosophiæ divisio* ab *Aristotele* introducta, à seqvacib. constanter retenta, *in Theoreticam & Practicam est*, & ratione *objectorum*, *modorum tractandi*, *& finium inde resultantium* optimè procedit, ut *Coron. Log. t. 14. seq.* dictum. *Practica* autem in *Ethicam*, *Oeconomicam*, *& Politicam*, ut inferiores suas partes, subdividi solet. *Qvæ divisio an justa*, qværi solet? Nam & *defectu*, *&*

 excessu

excessu hic peccatur. *Defectu*, ut cum qvidam unam Ph. Practicæ partem faciunt, Ethicam, ac sub eâ Oeconomicam & Politicam comprehendunt, ut *Ant. Merandulan. apud Perer l. 1. de Philos. c. 8.* Aut alii plerasq; virtutes ad Theolog. Jurisprudentiam, Phys. vel Logicam remittunt, ut *Althusius l. 1. de Con. Civ. C. 2. Amesius l. 2. Medul. Theolog. C. 2.* Cum formales considerandi modi & fines multùm hic divertant; *Aut* alii Oeconomicam Politicæ appendicem faciunt, ut *Piccolomin. Civil. Introd. C. 9.* vel alii Eth. Oecon. & Polit. tres partes unius disciplinæ Practicæ faciunt, ut *Gutkius D. 1. Ethica. qvæst. 1. & D. 2. Intell. de prin. Ph. Perip. t. 14. Elerus D. 1. Eth. t. 29. Jacob. Mart. D. 1. Eudæm. qvæst. 1. Zapfius Dist. Eth. s. 1. n. 25. Scharfius præc. Log. de Phil. pag. 12. aliiq;*, Cum tamen diversa objecta specialia, & diversi considerandi modi formaliter diversi in objectis, & diversi fines ab objectis taliter consideratis manantes sufficiens discrimen ad diversas disciplinas sub uno generali faciendas importent, ut in *Gnostologicis & Hexiologiâ* disceptari solet. *V. de Cogn. hum. t. 3. 4.*

3. In præsente autem negotio omninò ita se res habet. *Objectum enim Ethices* est praxis moralis ad honestum composita in genere, præscindendo ab omni statu humano, solitario vel socio, publico vel privato, Domestico vel Politico, vel Ecclesiastico: *Politices* est praxis Politica in Republ. vel statu publico velut à membro societatis publicæ competenter expedienda. *Oeconomicæ* praxis domestica in domo & societate domesticâ ut membro ejus occupanda. Praxis autem moralis in genere, & talis ac talis circa tale objectum determinatum in specie, Politiam vel domum, sufficienter differunt. Si modis tantùm differre dicas, objecta ipsa per istos modos *diversa*

evadere

evadere cogitandum erit, & sic ad diversas disciplinas fundamentum facere. Sic ens in genere tradit *Metaphysica*. In specie, ut substantiale corporeum aut Spirituale est, *Pneumatica & Physica*. Substantia ut sic in *Metaphysicis* explicatur: Vt corpus sit, in *Physicis*, ut Spiritus, in *Pneumaticis*. Et diversæ omninò hinc disciplinæ Philosophicæ. Sic *numerum* in genere Arithmetica, sed *in sono* Musica spectat, & diversæ disciplinæ sunt. *Fines etiam hic diversissimi* sunt. In *Ethicis* beatitudo moralis in genere, seu honestas generâlis, in *Oeconomicis* felicitas domestica ac salus domus. In *Politicis* felicitas Politica seu salus Reip. finis est. Hæc autem diversa esse apertum est. Modi considerandi etiam hic diversissimi sunt. In *Ethicis* praxis moralis spectatur ut universìm in qvovis statu exercenda est. In *Oeconomicis*, ut in familiâ domesticâ præcisè occupanda. In *Politicis*, ut in Rep. & societate Civili præcisè applicanda.

4. *Dices 1. Idem Objectum materiale* & formale in Ethicâ & Politicâ ac Oeconomicâ est, actiones humanæ, qvà honestæ esse possunt, qvas Ethica format, ut in communi vita, Oeconom. & Pol. ut in speciali, domesticâ vel publicâ exerceri debent. E. in re una disciplina. ℞. *Formale hic diversum est*, qvia modum spectandi in speciali vel generali implicat, & diversos fines simul involvit, unde generale ac speciale diversas disciplinas facere potest. Ut in *Metaph. Pneumat. Phys. & Mathematicis, t. 3.* Licet honestas in genere hic pro formali sit, in Politicâ tamen & Oeconomicâ talis & talis honestas spectatur, qvæ ita ab Ethicâ differt, ut hæc interdùm esse possit, & illa non sit, vel illa sit, & hæc absit. Sic potest aliqvis vir *bonus Ethicè* esse, etsi pessimus civis Politicè, & Oeconomus Oeconomicè. Unde in Politicis *inter virtutem*

boni viri, & boni civis clasficè diftinguitur. *V. Ariftotel. 3. Polit. C. 4. I. Mart. C. 8. d. 8. q. 9. Et Politicos* pasfim: Non qvòd nunqvam in unum eæ concurrant, qvod è durioribus *Arift.* verbis primâ fronte qvis colligat: fed ubi locum corruptum ac fuspectæ lectionis non fine ratione cenfet monetq; *Piccartus*: Sed qvod fæpè divertant & fecernantur, virtusq; civis in aliqvo fit, ubi virtus boni viri non eft. *Sic* qvi ad leges Civitatis congruè vivit, bonus civis eft, & malus moraliter esfe poteft. Ut *Turca* Polygamus in fuo territorio, *Spartanus* furtis ingeniofis deditus, & uxorem raptu fibi ducens, hoc enim lege fiebat, *Keckermannus d. Repub. Spart. C. 10. t. 1. aliiq. Conf. Dec. 3. d. 3. t. 10.* Sic bonus Nauta & Gubernator navis aliqvis esfe poteft, ut malus vir moraliter fit, bonus miles, ut Ethicè malus, &c. Virtus boni viri & boni Scholaftici, qvi prudenter in fcholâ operari posfit, docendo vel difcendo, multùm differunt. *In civitate Dei* virtus viri & civis boni concurrunt, non femper *in civitate mundi*, ubi leges & ftatus interdùm contra virtutem moralem funt. Qvæ autem in tantum differunt, ut actu feparari posfint, realiter, & fic fufficienter differunt. 2. *Idem finis utriusq; eft*, honeftas. ℞. *Hic generalis* tantùm eft, *fpecialis* differt. In Ethicis honeftas morum eft; In *Oeconom. & Polit.* felicitas domus & Politiæ, bona domus & Reipubl. gubernatio, qvæ longe plura, ac honeftatem morum, reqvirit. 3. *Tantùm* fpecialis applicatio virtutum manente generali ad certum vitæ ftatum eft, unde non diverfæ difciplinæ. Sic in Log. parte fpeciali fyllogismus ad fpecialem materiam applicatur, nec diverfa Logica inde, fed pars ejusdem materialis tantùm. ℞. *Non tantùm* diverfa applicatio, fed diverforum objectorum formalium & finium

nium ratio hic eſt, unde diſcrimen diſciplinarum, *t. 3.*
Interdum & diverſa media ad finem ſunt. Sic in Principe virtus imperantis, in ſubdito virtus parentis reqviritur, qvæ à virtute Ethicâ qvandoq; differt. Sic benè gubernare navem alia virtus à morali eſt. *Objecta generalia*, actiones humanæ dirigibiles, & fines generales, honeſtas, prudentia practica, conveniunt: *Formalia ac fines proximi ultimiq;* differunt. Ethica felicitatem moralem in communi vitâ intendit generaliter: Oeconomica & Politica in vitâ ſpecialiter. *V. dec. 3. Miſc. d. 1. t. 3. 4.*

5. *Excesſu* peccari putatur, cum *Scholaſtica & Hiſtorica* Phil. practicæ adjicitur. *Scholaſtica*, qvia peculiare objectum, ſcholam, modum verſandi circa eam, ſcholaſticè per virtutes ſcholaſticas operari, & diſtinctum finem habet, bonam ſcholæ adminiſtrationem & felicitatem ejus, peculiaris diſciplina practica ſtatui poteſt, nec enim plenè ad *Politicam* referri poteſt, in qvâ de curâ Magiſtratus circa ſcholam qvidem agitur, non tamen operatio tota Scholaſtica à docente ac diſcente in ſcholâ exantlanda repræſentatur, qvod in Scholaſticâ fieri debet. Nec Magiſtratus officium eſt, in ſcholâ laborare, vel functionem ſcholaſticam expedire, ſed in erigendis, ſervandis, amplificandis, ſcholis laborare, ſumptus aliaq; ad media Scholaſtica facientia providere, tutelam præſtare, aliaq; ab ipſâ operatione Scholaſticâ penitùs diverſa agere. *Hiſtorica* directè ad Philoſophiam referri neqvit, cum de merè ſingularibus agat, de qvibus nulla diſciplina Philoſophica agit, qvæ de univerſalibus maximam partem tradit: Sed *indirectè*, ut *appendix & coronis* aliqva, qvia liberale objectum habet, Hiſtoriam mundi, *liberalem finem*, prudentiam è mundi Hiſtoriâ colligendam, *& modum* diſtinctè

ſtinctè verſandi circa objectum, diſtinctam Hiſtoriæ mundi per claſſes ac characteres temporis repræſentationem, nec ad aliam diſciplinam, ut *Ethicam*, ut *Sluterus* vult, vel *Jurisprudentiam* aut *Philologiam*, ut alii cenſere posſint, ſatis commodè referri poteſt, ſed Philoſophiæ Practicæ commodiùs ſubjungi poteſt, nec *Verulamij* nova partitio diſciplinarum ſecundùm memoriam, phantaſiam, & rationem, ubi memoriæ Hiſtoria asſignatur, ſatis accurata eſt, de qvâ *Dec. 3. t. 5.* dictum. Plura *Coron. Log. t. 21.*

6. Sed & inaccuratione hic peccari poteſt, ut cùm *Phil. Practica* in *Theoreticam*, qvalis *Ethica*, *& Practicam*, qvalis *Oeconomica & Politica*, dividitur, ut *Piccolom. gr. 10. C. 8. Pavonius d. 1. Ethi. q. 2. Practica* enim nullo modo theoretica dici poteſt, cum oppoſita ei Theoria ſit ex objecto, ſpectandi modo, & fine, ut *Coron. t. 17. ſeq.* dictum, & oppoſiti habitus Theoretici & Practici ſint, ut vocabula hic commiſcere Cœlum cum Orco confundere ſit, nec Philoſophi ſit confundere, ſed potius diſtincta diſtinctè efferre: *Vel* cum in doctrinam de converſatione, negotiis, & imperio dividitur, ut *Verulam l. 8. d. aug. ſci. C. 1.* Ubi ambigui luſus vocabulorum ſunt, & voces nec ſatis diſtinctæ, nec ad res, qvas promunt, ſatis habiles ſunt, ut Oeconomicam de negotiis, qvaſi non & in Politicis ea, vel Ethicam de converſatione dicere, qvaſi non & multæ virtutes abſolutè citra converſationem ſint, ut Temperantia, Caſtitas, Fortitudo, ſufficientia, Parſimonia, Modeſtia, &c. Et contra communem uſum vocum ſignificata novare, non privatorum arbitrio commisſum esſe debet. *Cæſar* civitatem hominibus dare poteſt, ſed verbis non poteſt, ut rectè *Ramus anim. in Log. Ariſt. pag. 121.* Uſu enim ea occupantur, ut nummi. *Conf. Ariſt. 2. Top. C. 2.*

Cicer.

Cicer. 8. d. Orat. n. 146. Lucianum, aliosq. Fides hominum salus proprietatum, ait *Tertullianus*.

7. His generaliter præmissis *Ethica* jam spectari potest *Vel in præcognitione suâ, An detur*, Ubi dari eam objectum, finis, & media ad eum, communisq; consensus Philosophorum testantur, *Ubi detur*, In re nempè, non ratione, nec enim totum esse à mero cogitari rationis habet, *& ubi consideretur*, *vel* ut pars Philosophiæ, vel ut pars Pract. Phil. *Vel* ut notitia naturalis in mente adhuc residua, *vel* ut peculiaris habitus animum de felicitate civili & mediis ejus plenè informans est, quomodo *hic* spectatur. Reliqua ad Præcogn. Phil. vel Hexilogiam, vel notitias naturales pertinent: *Vel Cognitione*, *eaq; nominali*, ut homonymica, Etymologica & Synonymica, de quâ *Dec. 3. d. 1. t. 8.* *Et reali*, quà natura ejus explicatur.

8. *Hæc absoluta & respectiva est.* *Absoluta* in natura sui, ut definitione, Causis, Subjecto, Objecto, divisione, & attributis.

9. *Definitio sit: Ethica est prudentia Civilis, actiones humanas moraliter informans, ad summum bonum morale per virtutes Ethicas consequendum.*

10. *Genus est prudentia civilis*, h. e. habitus intellectualis cum rectâ ratione moraliter activus eorum, quæ homini bona aut mala, honesta aut inhonesta sunt, *6. Eth. c. 5.* *Intellectus est*, quia intellectum perficit, non Corpus: *Activus*, quia agere requirit, non nudum scire, *t. 1.* Verum genus esse patet, *1. Quia* nullum aliud dari potest, Non Intelligentia, aut sapientia est, ut patet, nec scientia: Non enim objectum aut finem scientiæ habet. Objectum enim hic ens necessarium esse debet, non à nobis operabile, ut Pneumatica, Physica, & Mathematica, docent, Cum

Ethicæ objectum actus Moralis à nobis operabilis & à nostro arbitrio pendens sit, *t.11.* Et finis tantùm scire esse debet, cum hic sit agere, *t.1.* Demonstrationes etiam hic tantùm analogicæ sint, non rigidæ, cum res naturâ sui contingentes sint, à nobis pendentes, factibiles aut omissibiles, quæ veras enunciatorum connexiones, probationes, & deductiones habere possunt, quæ & in contingentibus formantur, ut intrinsecam essendi necessitatem non obtineant. Pessimeq; scientiam genus ejus *Evenius, Eustachius S. Pauli, Waleus, Morisanus aliiq;* faciunt: *Nec ars*, ut *Sagittarius, Snellius, Gorleus, aliiq;* volunt, Qui vel ex vitiosâ artis definitione procedunt, vel agere cum efficere confundunt, quæ distinxisse satius sit, vel inaccuratè procedunt. *Nec disciplina aut doctrina est*, ut *Goclen. Sluterus, Timplerus*, aliiq;, qui generalitate vocis ludunt, cum hic specialior suppetat, & in accuratione Philosophicâ poni debeat. *Qui* alia genera ponunt, ut Philosophiam, vel partem Phil. omnes alieni sunt. *V. dec. 3. t. 15.* *Nec instrumentalis habitus est*, quia finem ob se habet, non ad aliud & ob aliud, ut instrumentalia solent, *t. 11.* 2. *Quia* definitio prudentiæ illi competit, & essentiam ejus facit, non accidens aliquod, & objectum respondet, actio humana moraliter informabilis, quod & in Ethicâ est. Meritò ergò prudentia definitur. *Civilis* dicitur, quia ex naturæ lumine extruitur, & ob vitam civilem docetur & excolitur.

II. *Differentia* cœteris verbis continetur, & *ab objecto, fine, & mediis* sumitur. *Objectum* actiones humanæ sunt, non naturales, ut intelligere, nec cum brutis communes, ut ambulare, edere, nec artificiales, ut pinsere, pingere, dolare, sed quæ liberè & moraliter ab homine fiunt, ac flexionis moralis capaces sunt. *Objectum denomi-*

nationis est homo, informationis animus hominis, *perfectionis* voluntas & appetitus, quà regibilis, proximum & *directionis actus humanus moraliter* dirigibilis. Sic enim & species & principia actuum humanorum, ut voluntarius, invitus, mixtus, bonus, malus, prudens, imprudens, *V. d. 3.* Et media dirigendi ac perficiendi ejus, virtutes, in Ethicâ proponuntur; Et proprium Ethicæ formale in eo repræsentando est, *t. 3. 4.* Et communiter ab Authoribus conceditur. Reliqua objecta *vel* huc redigenda, *vel* partialia, inadæquata, aut aliena sunt. *Dec. 3. t. 17. Finis est internus*, actionum ad honestū informatio, *& externus*, felicitatis civilis cōsecutio, de quâ *d. 2.* Media virtutes sunt, de quibꝰ *d. 4.*

12. Definitionem Ethic. *Causæ* sequuntur. Quæ *vel efficientes*, Deus, Natura, & Intellectus Practicus, Informatio, Præcepta, Scripta, & Scriptores Ethici, qui *vel* gentiles, ut Epictetus, Aristoteles, Seneca, Theophrastus, *vel* Christiani, Pontificii, Lutherani, Reformati, Photiniani, Arminiani, Patres quidam, quos *c. l. t. 28.* adduxi, *vel* Judæi, ut Rabbini & Thalmudistæ. Gentiles hic legi possunt ex parte, non absolutè, & ab illis, qui aurum ex Ennii stercore colligere possunt, non omnibus promiscuè, secùs ac rigidiores quidam, *Danæus, Amesius, Taleus, Vives*, censent. Et *Nicomachicos* libros *Aristotelis* esse, stylus & allegatio eorum *2. Pol. C. 1. l. 3. C. 6. l. 4. C. 2. l. 7. C. 3.* aliaq; docent, ut frustrà neget *Patricius*: *Vel materia*, quæ in quâ *homo*, etiam juvenis, etsi ob affectuum copiam & impetum minus idoneus in Ethicis censeatur, *1. Nicom. C. 1.* Quos per Ethica quotidiè subigere oportet, & si heroicæ indolis sit, aptius subjectum etiam Juvenis erit: Circa quod, actus humanus, *t. 11.* Vel forma, quæ habitus prudentiæ, *t. 10.* vel finis, qui beatitudo civilis, *t. 11. & d. 2. t. 1. seq.* De Subjecto & Objecto Ethicæ *t. 11. 12.* patet.

13. *Divisio Ethicæ in partem de fine & partem de mediis*

vel *Eudæmonologiam & Aretologiam* instituitur. Hæc duo n. per totam Ethicam traduntur, illisq; traditis ipsa absolvitur, nec quidquam ad perfectionem essentiæ ejus ultrà requiritur. Esse n habitus sibi debitum habet. Dices 1. *Finis* inter præcognita tantùm est. Non ergò pars. ℞. *Finis* disciplinæ inter præcognita est, non a. actionis ad finem susceptæ, de quâ hic agitur. Qui summum & primum in intentione est, ad quod omnia media suscipiuntur, & pro quo destinantur, ac cujus gratiâ tota actio suscipitur. Sic sanitas morbosi, pro quâ remedia sumuntur, eruditio, pro quâ labores, peregrinationes, & studia suscipiuntur. 2. *Via ante metam* & terminum tradenda: Quæ hic est virtus, quæ ante felicitatem tradenda. ℞. *Via* ante metam ordine Naturæ tradenda, & in agendo ac currendo, cum facto felicitas introducenda. Sic priùs virtutes requiruntur, Et prius via decurrenda, priusquam metam attingas: Non distinctioris doctrinæ, Et in docendo ac tradendo, cum habitus felicitatis doctrinaliter traditur. Sic in Practicis semper à fine repræsentatio inchoanda, *d. 16. Log. t. 14.*

14. *Attributa Ethicæ necessitas & utilitas* ejus tùm in vitâ communi, tùm speciali, tùm in Philosophiâ, tùm Th. Jurisprud. & aliis est, quib. ad multas materias explicandas utilissima est: *Subordinatio* ad cœteras disciplinas, non adversitas & oppositio: *Ordo*, ut primo loco inter Practicas proponatur: *Modus tradendi*, ut non Theologicè, ut Danæus fermè, sed Philosophicè tradatur, quantum ex Naturæ lumine hauriri potest: *Naturalitas*, quâ conveniens homini ut perfectio est, non naturæ ejus adversa, ut plura moribus quàm viribus, exsequatur. *Cognatio* ad scripta sententiosa & moralia, ut Senecæ, Plutarchi, Siracidis, & *diversitas* ab iisdem & facultatibus superiorib. Th. Jurisp. Med. Phil. theoreticâ, & *Oppositio* ad ignorantiam moralem & repugnantiam, qualis feritas morum est.